rum divinorum abyſſo permittentes,

65. *de nobis* confiteamur: Tu Domine diſpones pacem nobis: quia etiam omnia opera operatus es nobis.

66. Ipſius enim opus ſumus, creati in Chriſto Jeſu, ad opera bona: quæ præparavit DEUS ut in illis ambulemus; ad laudem gloriæ ipſius, Amen.

QUÆSTIONES.

1. *An electio ad ſalutem fiat ex fide præviſâ?* N.

2. *An iis qui non ſunt electi, jactura ſalutis, & damnatio ſit omnino ac propriè inevitabilis?* N.

3. *An, ſi jactura eſſet aliquibus inevitabilis, Deus ſit futurus injuſtus, aut immiſericors?* N.

4. *An ſecundùm revelatam Dei voluntatem, nemo reipſâ vitet damnationem, præter illos qui ex merâ Dei* εὐδοκίᾳ *ſunt electi ad ſalutem?* A.